PLOTINI

DE

AMORE SENTENTIA

EXPOSITA

A

F. G. STARKE.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Plotini de amore sententia.

In principio libri quinti Enneadis tertiae, qui liber de amore conscriptus est, quaerit Plotinus, utrum deus sit amor, an daemon. Ac primum quidem hanc proposuit amoris definitionem: *ἀρχὴν δὲ εἴτις θεῖτο τὴν αὐτοῦ κάλλους πρότερον ἐν ταῖς ψυχαῖς ὄρεξιν, καὶ ἐπίγνωσιν, καὶ συγγένειαν, καὶ οἰκειότητος ἄλογον σύνεσιν, τυγχάνοι ἄν οἶμαι τοῦ ἀληθοῦς τῆς αἰτίας.* Deinde species quasdam amoris affert. Natura enim in iis, quae facit, pulchrum spectat declinatque id, quod turpe est, tanquam vel sibi vel deo contrarium *τὸ μὲν γὰρ αἰσχρὸν ἐναντίον καὶ τῇ φύσει καὶ τῷ θεῷ· καὶ γὰρ ἡ φύσις πρὸς τὸ καλὸν βλέπουσα ποιεῖ· καὶ πρὸς τὸ ὡρισμένον βλέπει, ὅ ἐστιν ἐν τῇ τοῦ ἀγαθοῦ συστοιχίᾳ· τὸ δὲ ἀόριστον, αἰσχρὸν καὶ τῆς ἑτέρας συστοιχίας· τῇ δὲ φύσει γένεσις ἐκεῖθεν ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ δῆλον ὅτι τοῦ καλοῦ.* Alia vero amoris species in conjunctionis appetitu omnium animantium communi cernitur, cujus ratio duplex est: cupiunt enim generare in eo, quod pulchrum est, atque illud quidem tanquam aeternae pulchritudinis simulacrum amplectuntur; ab altera autem parte generare cupiunt immortalitatis perpetuitatisque causa. Est igitur utriusque rationis una eademque causa, nam quod sempiternum perpetuumque est, idem est pulchrum [1]). Alia praeterea amoris forma eaque praestantissima in iis est, qui aeternae pulchritudinis contemplatione contenti sunt, nec quidquam aliud praeter eam anquirunt. Reliquae vero passiones amatoriae, si legem ac modum natura praescriptum excedunt, in vitiis habendae sunt; sin ratione temperatae, sive reminiscuntur, sive non reminiscuntur aeternam illam pulchriiudinem (*τὸ ἀρχέτυπον*), propter quam expetuntur, culpa vacant. cfr. cap. 5. ejusdem libri.

Secundo capite aperit Plotinus mundum intelligibilem (*τὸν κόσμον νοητὸν*) respondetque ad eam quam in principio hujus libri posuit quaestionem, utrum deus sit amor, an daemon. Sed ut huic loco obscuriori lucem quandam afferamus, primum dicemus de amore, quem pro deo, deinde, quem pro daemone habuit Plotinus.

CAPUT I.

De amore, quem pro deo habuit Plotinus.

Ac primum quidem duo illa principia, pulchritudo et appetitio ejusdem, definitione amoris, quam modo attulimus, in unum principium collecta ac conjuncta videntur. Quod autem additum est vocabulum *πρότερον*, id spectat ad reminiscentiam. Existimabat enim Plotinus, in harum rerum pulchritudine contemplanda animos hominum reminisci aeternam pulchritudinem, ad quam nati factique essent [2]). Eandem fere amoris definitionem proposuit his verbis *εἴπερ ψυχὴ μήτηρ Ἔρωτος, Ἀφροδίτη*

1) Plato Arist. III, 5, 1. *ὅτῳ δὲ μέμικται καὶ ἄλλη τοῦ ἀθάνατον εἶναι ὡς ἐν θνητῷ ἐπιθυμία, οὗτος ἐν τῷ ἀειγενεῖ καὶ ἀϊδίῳ τὸ καλὸν ζητεῖ, καὶ κατὰ φύσιν μὲν ἰὼν σπείρει καὶ γεννᾷ ἐν καλῷ· σπείρων μὲν, εἰς τὸ ἀεί, ἐν καλῷ δέ, διὰ συγγένειαν τοῦ καλοῦ. Καὶ γὰρ καὶ τὸ ἀΐδιον συγγενὲς τῷ καλῷ· καὶ ἡ ἀΐδιος φύσις τὸ πρώτως τοιοῦτον καὶ τὰ ἀπ' αὐτῆς τοιαῦτα πάντα.* cfr. Plat. Symp. XXVI. *ἡ θνητὴ φύσις ζητεῖ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀεί τε εἶναι καὶ ἀθάνατος. δύναται δὲ ταύτη μόνον τῇ γενέσει, ὅτι ἀεὶ καταλείπει ἕτερον νέον ἀντὶ τοῦ παλαιοῦ.* Arist. de anim. *φυσικώτατον γὰρ τῶν ἔργων τοῖς ζῶσιν — τὸ ποιῆσαι ἕτερον οἷον αὐτό, ζῷον μὲν ζῷον, φυτὸν δὲ φυτόν, ἵνα τοῦ ἀεὶ καὶ τοῦ θείου μετέχωσιν ᾗ δύνανται.*

2) I, 6, 2. *φαμὲν δὴ ὡς τὴν φύσιν οὖσα (ψυχὴ) ὅπερ ἐστὶ καὶ πρὸς τῆς κρείττονος ἐν τοῖς οὖσιν οὐσίας, ὅ, τι ἂν ἴδῃ συγγενὲς ἢ ἴχνος τοῦ συγγενοῦς, χαίρει τε καὶ διεπτόηται καὶ ἀναφέρει πρὸς ἑαυτὴν καὶ ἀναμιμνήσκεται ἑαυτῆς καὶ τῶν ἑαυτῆς.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

δὲ ψυχή, ἔρως δὲ ἐνέργεια ψυχῆς ἀγαθοῖ ὀριγνωμένης· ἄγων τοίνυν ἑκάστην οὗτος ὁ Ἔρως πρὸς τὴν ἀγαθοῦ φύσιν, ὁ μὲν τῆς ἄνω θεὸς ἂν εἴη, ὃς ἀεὶ ψυχὴν ἐκείνῳ συνάπτει, δαίμων δ' ὁ τῆς μεμιγμένης III. 5. 4. Quae quidem definitio altius repetita est. Nam pro pulchritudine summum bonum, fons ac principium pulchritudinis, positum est (διαιρῶν δὲ τὰ νοητά, τὸ μὲν νοητόν, καλόν, τὸν τῶν εἰδῶν φήσει τόπον· τὸ δ' ἀγαθὸν τὸ ἐπέκεινα, καὶ πηγήν, καὶ ἀρχὴν τοῦ καλοῦ. I. 6. 9.). Deinde vero distinxit eum amorem, qui mundi intelligibilis sodalis est, ab eo amore, qui in his rebus terrestribus cupiditatem boni et pulchri excitare solet. Denique his verbis: ὃς ἀεὶ ψυχὴν ἐκείνῳ συνάπτει vinculum significatur, quo per amorem cum summo bono conjuncti sumus. Ex his autem apparet, amorem in categoria relationis a Plotino esse positum. Nam quod eum pro substantia divina quadam persona induta habuit, in eo poëtarum opiniones secutus est. Sed ut illius amoris, quem ex intellectu atque anima coelesti genitum dixit (III. 5. 2.), vim ac potentiam percipiamus, pauca de principiis mundi intelligibilis dicenda videntur.

Tribus enim pincipiis mundus intelligibilis (ὁ νοητὸς κόσμος) constitutus est, bono, intellectu, anima coelesti. Τὸ ἓν appellatur τὸ πρῶτον, quia efficit, ut quaelibet substantia una sit ceteraeque res, pro sua quaeque ratione, unitate contineantur; summum bonum, quia cetera omnia ad similitudinem sui efficit bona [3]). Gignit enim summum bonum ex se ipso intellectum, essentiam, animam, vitam mentisque agitationem.

Nullius rei indigens omnibus animantibus ingenuit appetitionem sui. Nam, quum sit per se perfectissimum ac potentissimum (δύναμις τῶν πάντων), tamen non invidet ceteris naturis communionem quandam cum semet ipso. Unde efficitur, ut omnia ex eo pendeant [4]). Praeterea τὸ ἓν et τὸ ἀγαθὸν una eademque natura est: ὅταν λέγωμεν τὸ ἓν καὶ ὅταν λέγωμεν τἀγαθόν, ταύτην δεῖ νομίζειν τὴν φύσιν καὶ μίαν λέγειν. Ex Plotini igitur sententia, ut brevi complectar, quae ab eo fusius de hac re disputata sunt, principium est ac finis omnium rerum (ἀρχὴ καὶ τέλος), in quo non ita multum dissentientem habet Aristotelem. Sed quamquam Plotinus deum, si non bonum, certe summum bonum ipsum esse contendit (V. 5. 13.), ambiguum tamen est, utrum cum antiquissimis theologis ex Nocte, an cum Aristotele ex intellectu divino omnia nata esse voluerit. At permultum interest, utrum cum antiquissimis theologis aut cum Speusippo (Arist. Met. XII. 7.) dicas, ex semine sive ex eo, quod potentia (δυνάμει) est, orta esse omnia, an cum Platone et Aristotele aliisque ex eo, quod per se perfectissimum absolutumque, ex intellectu divino, sive ex notione divina. Nam illud natura posterius, hoc natura prius (τῇ φύσει πρότερον). Itaque bene distinxit Aristoteles sententias eorum, qui ex eo, quod potentia est, rerum generationem factam esse contendunt, ab eorum sententiis, qui eandem ex eo, quod per se absolutum est et natura ad cognitionem accomodatius (τῇ φύσει γνωριμώτερον), ducunt [5]). Haec duo principia in unum principium conjunxisse videtur Plotinus. Hoc saltem apparet, recepisse eum materiam in mundum intelligibilem, et illam quidem a materia hujus mundi diversam: quamquam et Aristoteles universalia (τὰ καθόλου) in singulis substantiis potentia (δυνάμει) inesse arbitratus est [6]). Praeterea Plotinus summum numen omnibus exuit praedicamentis. Nam quaecunque de deo ejusque natura praedicari solent, ut substantia, ut intelligentia, ut voluntas ceteraeque virtutes,

3) V, 1, 10. τὸ ἐπέκεινα ὄντος τὸ ἕν. — — ἔστι δὲ ἐφεξῆς τὸ ὂν καὶ νοῦς· τρίτη δὲ ἡ τῆς ψυχῆς φύσις. I, 7, 1; VI, 9, 1. πάντα τὰ ὄντα τῷ ἑνί ἐστιν ὄντα, ὅσα τε πρώτως ἐστὶν ὄντα καὶ ὅσα ὁπωσοῦν λέγεται ἐν τοῖς οὖσιν εἶναι. Τί γὰρ ἂν καὶ εἴη, εἰ μὴ ἓν εἴη; ἐπεί περ ἀφαιρεθέντα τοῦ ἕν, ὃ λέγεται, οὐκ ἔστιν ἐκεῖνα. V, 4, 1. πῶς οὖν τὸ τελεώτατον καὶ τὸ πρῶτον ἀγαθὸν ἐν αὑτῷ σταίη, ὥσπερ φθονῆσαν ἑαυτοῦ ἢ ἀδυνατῆσαν, ἡ πάντων δύναμις; πῶς δ' ἂν ἔτι ἀρχὴ εἴη;

4) I, 8, 2. νῦν δὲ λεγέσθω, τίς ἡ τοῦ ἀγαθοῦ φύσις, καθόσον τοῖς παροῦσι λόγοις προσήκει. Ἔστι δὲ τοῦτο, εἰς ὃ πάντα ἀνήρτηται, καὶ οὗ πάντα τὰ ὄντα ἔφεται, ἀρχὴν ἔχοντα αὐτό, κἀκείνου δεόμενα. Τὸ δ' ἐστὶν ἀνενδεές, ἱκανὸν ἑαυτῷ, μηδενὸς δεόμενον, μέτρον πάντων καὶ πέρας, δὸν ἐξ αὐτοῦ νοῦν καὶ οὐσίαν καὶ ψυχὴν καὶ ζωὴν καὶ περὶ νοῦν ἐνέργειαν. I, 7, 1. III, 8, 9. V, 4, 1.

5) Arist. met. XIV. 4. ἡ μὲν οὖν ἀπορία αὕτη, ποτέρως δεῖ λέγειν; θαυμαστὸν δ' εἰ τῷ πρώτῳ καὶ ἀϊδίῳ καὶ αὐταρκεστάτῳ τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον οὐχ ὡς ἀγαθὸν ὑπάρχει τὸ αὐταρκες καὶ ἡ σωτηρία. ἀλλὰ μὴν οὐ δι' ἄλλο τι ἄφθαρτον ἢ διότι εὖ ἔχει οὐδ' αὐταρκες. ὥστε τὸ μὲν φάναι τὴν ἀρχὴν τοιαύτην εἶναι εὔλογον ἀληθὲς εἶναι.

6) Arist. met. XIII. 10. ἡ γὰρ ἐπιστήμη, ὥσπερ καὶ τὸ ἐπίστασθαι, διττόν, ὧν τὸ μὲν δυνάμει τὸ δὲ ἐνεργείᾳ. ἡ μὲν οὖν δύναμις ὡς ὕλη τοῦ καθόλου οὖσα καὶ ἀόριστος τοῦ καθόλου καὶ ἀόριστον ἐστίν, ἡ δ' ἐνέργεια ὡρισμένη καὶ ὡρισμένου τόδε τι οὖσα τοῦδέ τινος.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ea omnia ipso sunt inferiora [7]); eamque ob causam deus per se omni hominum intelligentia superior (*ἐπέκεινα γνώσεως* V. 3. 12.). At, quum naturam in se habeat genitricem (*γεννητικὴν*), genuit filium, in mundo intelligibili regnantem, intellectum divinum (*ὁ τοιοῦτον παῖδα γεννήσας νοῦν, κόρον καλόν, καὶ παρ' αὐτοῦ γενόμενον κόρον* III. 8. 10.) [8]).

Alterum igitur principium est intellectus divinus (*ὁ μέγας νοῦς*). Munus ejus cernitur in eo, ut, quae in numine supremo recondita ac seclusa sunt, ea aperiat, expromat, explicet, constituat: eamque ob causam reflectitur ad id, quod primum est, idque vel contemplando vel appetendo apprehendit apprehensumque sibi vindicat ac conciliat, quo fit, ut supremi numinis natura abscondita non solum in lucem intelligentiae prodeat, verum etiam intellectus ipse definitam quandam naturam consequatur. Quod autem intellectus contemplando et appetendo concipit, id summi boni simulacrum est atque vestigium (*ἴχνος*). Nam bonum ipsum in se remanet, facit autem intellectum sui similem (*ἀγαθοειδῆ*), praebens et cognoscenti et cognoscendis veritatem atque essentiam [9]). Sed quidquid genitum est, id inferius ac deterius eo, ex quo genitum est (*τοῦ γὰρ γεννηθέντος πανταχοῦ τὸ γεννῶν ἁπλούστερον* III. 8. 8.). Intellectus autem summo bono inferior, tum quod ejus indigens est ad naturam suam constituendam ac conservandam, tum quod ex eodem tanquam omnium rerum fine aptus est, tum quod ex natura unius in multitudinem ac varietatem idearum discessit. Nam quamvis una sit ejus natura, eadem tamen divisa est in duas naturas (*τὸ οὖν ἓν δύο γέγονε καὶ τὰ δύο ἕν* III. 8. 10. *διὸ οὐχ ἁπλοῦς ἀλλὰ πολλά* V. 4. 2.). Est enim ei oppositum *τὸ νοητόν* [10]). At haec duo uno actu conjunguntur, ut ex duabus naturis una existat natura. Contemplatur enim intellectus se ipsum, qua quidem in contemplatione omnis veritas posita est [11]). Sed quid contemplatur intellectus, cum se ipsum contemplatur? Respondet Plotinus, intellectum contemplari ideas sibi ingenitas sive notiones omnium rerum procreatrices, et illas quidem ab his rebus sejunctas. Comprehendit enim in se omnia ea, quorum fons deus est (III. 8. 8.). Cohortatur itaque hominem, ut in se ipsum descendat, quo per intellectum videat deum. Nam intellectus is quisque est (*ἕκαστος νοῦς, ἐσμὲν ἕκαστος κόσμος νοητός* III. 4. 2.). Ac quoniam intellectus divinus (*ὁ μέγας νοῦς, εἶδος εἴδων*) vita pollet, consentaneum est, eum et singulis substantiis vitam praebere [12]). Est enim singula quaeque idea intellectus, etiam ideae eorum, quae rationis expertia dicimus [13]). Quid, quod singulae cujusque substantiae notionem in mundo intelligibili locum suum habere existimabat Plotinus. Quaerit enim, num idem semper sit Socrates, nulli mutationi obnoxius. Si semper idem atque unus est, consequitur, ut ibi sit ejus forma sive notio divina (*τὸ τί ἦν εἶναι, τὸ Σωκράτει εἶναι*); sin autem, qui nunc Socrates est, alio tempore Pythagoras, alio tempore alius quis futurus est, non ibi est. Neque vero ad singulorum hominum diversitatem explicandam sufficiet, si quis hominis notionem tanquam exemplar omnium hominum proponere voluerit. Necesse igitur est, ut singulorum differentiae ex rationum differentiis proficiscantur. Neque vero verendum est, ne infinita quaedam existat notionum multitudo: nam quae in hoc mundo dispersa ac disjecta conspiciuntur, ea in mundo intelligibili unita sunt. Praeterea multitudo earum rerum, quae deinceps gignuntur, mundi periodis definita est ac terminata [14]).

7) VI, 8, 16. *αὐτὸς ἄρα ἐστὶν ἐνέργεια ὑπὲρ νοῦν καὶ φρόνησιν καὶ ζωήν.* I, 7, 1. *ἐπέκεινα οὐσίας, ἐπέκεινα καὶ ἐνεργείας, καὶ ἐπέκεινα τοῦ καὶ νοήσεως.*

8) I, 8, 2. *βασιλεύων ἐν τῷ νοητῷ.*

9) IV, 8, 6. *εἴπερ οὖν δεῖ μὴ ἓν μόνον εἶναι, ἐκέκρυπτο γὰρ ἂν πάντα.* V, 2, 1. *τὸ δὲ γενόμενον εἰς αὐτὸ ἐπεστράφη καὶ ἐπληρώθη, καὶ ἐγίνετο πρὸς αὐτὸ βλέπον, καὶ νοῦς οὗτος. καὶ ἡ μὲν πρὸς ἐκεῖνο στάσις αὐτοῦ τὸ ὂν ἐποίησεν, ἡ δὲ πρὸς αὐτὸ θέα τὸν νοῦν.* III, 8, 10.

10) *δεῖ τοίνυν τὸ νοοῦν ὅταν νοῇ, ἐν δυσὶν εἶναι, καὶ ἢ ἔξω θάτερον, ἢ ἐν τῷ αὐτῷ ἄμφω, καὶ ἀεὶ ἐν ἑτερότητι τὴν νόησιν εἶναι, καὶ ἐν ταυτότητι δὲ ἐξ ἀνάγκης. καὶ εἶναι τὰ κυρίως νοούμενα πρὸς τὸν νοῦν καὶ τὰ αὐτὰ καὶ ἕτερα.*

11) V, 3, 5. *δεῖ τὴν θεωρίαν ταὐτὸν εἶναι τῷ θεωρητῷ, καὶ τὸν νοῦν ταὐτὸν εἶναι τῷ νοητῷ. καὶ γὰρ εἰ μὴ ταὐτὸν, οὐκ ἀλήθεια ἔσται — — τὴν ἄρα ἀλήθειαν οὐχ ἑτέρου δεῖ εἶναι, ἀλλ' ὃ λέγει τοῦτο καὶ εἶναι. ἓν ἄρα οὕτω νοῦς καὶ τὸ νοητὸν καὶ τὸ ὂν καὶ πρῶτον ὂν τοῦτο.* V, 5, 1.

12) VI, 7, 13. *δεῖ δὲ πάντα ζῆν καὶ πανταχόθεν καὶ οὐδὲν μὴ ζῆν.*

13) V, 9, 8. *οὐχ ἑτέρα τοῦ νοῦ ἑκάστη ἰδέα, ἀλλ' ἑκάστη νοῦς, καὶ ὅλος μὲν ὁ νοῦς τὰ πάντα εἴδη, ἕκαστον δὲ εἶδος νοῦς ἕκαστος, ὡς ἡ ὅλη ἐπιστήμη τὰ πάντα θεωρήματα.* VI, 7, 9. *ἐκεῖ δὲ καὶ τὸ ἄλογον λεγόμενον λόγος ἦν καὶ τὸ ἄνουν νοῦς ἦν, ἐπεὶ καὶ ὁ νοῶν ἵππον νοῦς ἐστι καὶ ἡ νόησις ἵππου νοῦς ἦν.*

14) V, 7, 1. Arist. met. VII, 13. *πρώτη οὐσία ἴδιος ἑκάστῳ καὶ οὐχ ὑπάρχει ἄλλῳ, τὸ δὲ καθόλου κοινόν.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tertio igitur principio opus est vel ad mundi intelligibilis constitutionem vel ad hujus mundi fabricationem. Atque illud quidem principium anima (*ψυχὴ*) est. Ex intellectu divino genita (*νοῦ γέννημα*), duplicem habet naturam ac rationem. Ab una enim parte ad intellectus, ad quem conversa est, similitudinem se ipsam conformat; ab altera autem parte materiam, ad quam propensionem quandam habet, conformat ad sui similitudinem. Quemadmodum enim oratione cogitata explicantur ac disponuntur, ita anima notiones ex intellectu receptas explicat et disponit: ac quoniam natura propensa est ad materiam formandam, ideas, quas intuendo et appetendo ex intellectu concepit, commutat in rationes rerum omnium, quae sub sensus cadunt, genitrices. Quam ob causam et ipsa *λόγος* est, intellectus *ποιητὴς τοῦ πρώτου λόγου* [15]). Quatenus intellectus contemplatione contenta est atque in semet ipsa remanet, anima coelestis est, mundi intelligibilis sodalis (*ἡ δὲ ψυχῆς φύσις ἐν ἐκείνῳ τῷ νοητῷ* VI. 3. 1.). Quatenus autem in societatem materiae accedit, eique rationes ingenerat, anima mundana appellatur [16]). Ex his igitur tribus principiis constat mundus intelligibilis. Omnia ibi divina sunt (*καὶ μέχρι τούτων τὰ θεῖα* V. 1. 7.). Dii omnes ibi versantur deumque illum unum suspiciunt atque unitate conjuncti vitam agunt beatissimam, pro tempore ibi aeternitas (*ἀντὶ τοῦ χρόνου αἰών*). At qui fieri poterit, ut, tempore sublato, generatio aut propagatio locum habeat? Quam difficultatem Plotinus ita expedit, ut contendat, idem dici de principiis mundi intelligibilis, quod dicunt de ideis: esse ea non tempore genita, sed ab aeterno genita [17]). Dicuntur igitur *τοῦ θεωρῆσαι ἕνεκεν* genita, ut ait Aristoteles. Idem judicat Plotinus de mythis et sermonibus, qui ad philosophiam pertinent. Nam in his quoque, quae natura conjuncta sunt, ea disjunguntur et quae non genita, genita esse dicuntur [18]). At si ab aeterno in deo fuerit intellectus atque anima coelestis, ab aeterno concretam quandam naturam, non abstractam, eum habere oportet. Plenitudinem scilicet in se habet eamque ob causam *τὸ πληροῦν*. Quorsum igitur spectant istae negationes? Nimirum, ut deus se ipsum a semet ipso distinguat. Nam hac demum ratione exstitit omnium rerum genitor atque naturam suam absconditam in lucem protraxit atque effecit, ut omnia ad eum reverterentur. Comparatur idem cum centro solis, intellectus cum solis lumine, quo tanquam circulo immobili centrum circumfusum sit, anima cum circulo mobili tanquam radiis solis promissis ac remissis. Ex qua comparatione hoc saltem apparet, unitate quadam Plotinum tria illa principia conjunxisse. At quid centrum, *τὸ ἕν*? Quemadmodum punctum et negationem et affirmationem in se habet atque hac quidem ratione principium figurarum est, sic *τὸ ἓν* et negationem et affirmationem in se comprehendit, atque hac quidem ratione summum bonum et principium est et finis omnium rerum I. 7. 1. Quemadmodum enim in omnibus animantibus principium quoddam inest, quod facit, ut quodlibet animal unum ac singulum sit atque a ceteris ejusdem generis omnibus diversum, sic in hac omnium rerum universitate principium tanquam centrum quaesivisse idque a rerum multitudine segregasse Plotinus videtur, ut haberet, quo ingentem rerum vim ac copiam comprehenderet. Ac mea quidem sententia illud principium, quod quaesivit Plotinus, nullum aliud esse poterit, nisi *τὸ ἐγώ* [19]). Nam praedicamentis omnibus sublatis, nihil aliud relinquitur, nisi aut *τὸ μὴ ὄν*, aut *τὸ ὂν αὐτό*, omnium rerum fons et, ut Plotino videtur, radix, ex qua mundus effloruit. Hoc quidem negari non poterit, illud *ἐγὼ* per se solum ab una parte *τὸ μὴ ὄν* esse, ab altera parte principium potentissimum (*τὸ δυνατώτατον*).

His autem expositis, revertamur ad amorem ac videamus, quae sit ejus natura. Atque hoc quidem perspicuum est, eum amorem, qui a Plotino deus appellatus sit, mundi intelligibilis esse so-

15) IV, 7, 13. IV, 8, 3. *βλέπουσα δὲ πρὸς μὲν τὸ πρὸ ἑαυτης νοεῖ, εἰς δὲ ἑαυτήν, σώζει ἑαυτήν, εἰς δὲ τὸ μετ' αὐτήν, ὃ κοσμεῖ τε καὶ διοικεῖ καὶ ἄρχει αὐτοῦ.*

16) III, 5, 3. III, 2. 2. *νοῦς τοίνυν, δούς τι ἑαυτοῦ εἰς ὕλην ἀτρεμὴς καὶ ἥσυχος τὰ πάντα εἰργάζετο· οὗτος δὲ ὁ λόγος, ἐκ νοῦ ῥυείς. Τὸ γὰρ ἀποῤῥέον ἐκ νοῦ λόγος· καὶ ἀεὶ ἀποῤῥεῖ, ἕως ἂν ᾖ ἐν τοῖς οὖσι νοῦς.*

17) II, 4, 5. *ἀγέννητα δέ, ὅτι μὴ χρόνῳ τὴν ἀρχὴν ἔχει, ἀλλ' ἀεὶ παρ' ἄλλου, οὐχ ὡς γιγνόμενα ἀεί, ὥσπερ ὁ κόσμος, ἀλλὰ ὄντα ἀεί, ὥσπερ ὁ ἐκεῖ κόσμος.*

18) III, 5, 7. *δεῖ δὲ τοὺς μύθους, εἴπερ τοῦτο ἔσονται, καὶ μερίζειν χρόνοις ἃ λέγουσι, καὶ διαιρεῖν ἀπ' ἀλλήλων πολλὰ τῶν ὄντων, ὁμοῦ μὲν ὄντα, τάξει δὲ ἢ δυνάμεσι διεστῶτα, ὅπου καὶ οἱ λόγοι καὶ γενέσεις τῶν ἀγεννήτων ποιοῦσι, καὶ τὰ ὁμοῦ ὄντα, καὶ αὐτοὶ διαιροῦσι· καὶ διδάξαντες ὡς δύνανται, τῷ νοήσαντι ἤδη συγχωροῦσι συναιρεῖν.*

19) V, 3, 10. *εἶθ' ὅταν λέγῃ, εἰμὶ τόδε, τὸ τόδε εἰ μὲν ἕτερον τι αὐτοῦ ἐρεῖ, ψεύσεται· εἰ δὲ συμβεβηκὸς αὐτῷ, πολλὰ ἐρεῖ· ἢ τοῦτο ἐρεῖ εἰμὶ εἰμί, καὶ ἐγὼ ἐγώ.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dalem. Nam ex intellectu divino et anima coelesti genitus naturam parentum habet. Quod autem Plotinus dicit, eum ex anima genitum esse amando, eo significare videtur, animam tum demum peperisse amorem, quum suum ipsa bonum, id est, naturam ratione definitam acceperit [20]). Idem fere intellectui contingit, ut se ipsum cognoscat, postquam a summo bono definitus atque ad similitudinem ejus conformatus est. Genuit autem anima pro duplici natura sua duplicem amorem. Etenim anima ad intellectum conversa omnibusque bonis ac rationibus accumulata atque impleta (*ψυχὴ νῷ συνοῦσα καὶ παρὰ νοῦ ὑποστᾶσα καὶ αὖ λόγων πληρωθεῖσα καὶ καλὴ καλοῖς κοσμηθεῖσα καὶ εὐπορίας πληρωθεῖσα*), amorem deum, cum materia autem commixta, amorem daemonem peperit [21]). Qui deus est amor, is cum anima, ex qua natus est, divina ac coelestia spectat, ab omni corporis concretione remotus [22]); qui vero daemon est, is circa haec terrestria versatur, corporum pulchritudinem captans. Uterque id commune habet, ut bonum pulchrumque appetat, alter veram ac solidam boni pulchrique formam, alter ejusdem umbram. Itaque anima, in medio posita, per amorem copulat hunc mundum cum mundo intelligibili. Est enim boni appetitus, in quo amoris vis ac natura cernitur, omnibus naturis ita insitus atque ingeneratus, ut vel dormientes ejus non sint prorsus expertes: quamquam pulchri sensus eis ab initio deesse videtur: nam ad pulchri sensum excitandum rei cognitione quadam ac visione opus est [23]). Itaque amor oculus vocatur, quo tanquam instrumento anima utatur ad id, quod bonum pulchrumque est, vel contemplandum vel sibi comparandum. Nam cum medium teneat inter animam desiderantem appetentemque atque id, quod ab eo desideratur et appetitur, officium ejus est, ut subministret animae appetenti id, quod appetit eique id, quod ipse vidit, infigat. Perpetuus igitur est comes animae coelestis. Ac quoniam intellectus summo bono, ex quo aptus est, ad naturam suam conservandam indiget idque perpetuo appetit, quamvis perpetuo ejus particeps sit [24]), consentaneum est, imperium amoris pertinere usque ad intellectum divinum atque per intellectum divinum ad deum ipsum, in quo tandem acquiescit. Homo autem, cum non solum animam mundanam, verum etiam mundum intelligibilem in se contineat [25]), duos amores, vitae comites, habebit. Etenim suam quisque vitam amat ac conservat tanquam bonum suum, ex quo apparet, etiam tempore prius esse bonum, quam pulchrum [26]). Amor vero pulchri efflorescit ex aeterna hominis essentia. Videt enim in his rebus, quae sub sensus cadunt, aliquid, quod sibi cognatum est, idque apprehendit atque sibi ingignit [27]). Qui in sonorum concentu eorumque numeris sive rhythmis pulchritudinem percipiunt, musici, qui corporum pulchritudinem captant, erotici, qui sapientiae amore ducuntur, philosophi appellantur [28]). Gradibus igitur ascendit hominis animus ad idearum contemplationem, in qua philosophi defixi sunt, per intellectum denique ad deum ipsum (*ἐκεῖ μὲν οὖν τἀγαθὸν διὰ νοῦ ὁρᾷ* IV. 4. 4.).

Quae cum ita sint, amor, quem pro deo habuit Plotinus, vitae honestae dux ac comes est. Ducit enim hominum animos gradibus diversis ad deum ipsum, id quod fieri non potest, nisi homo, ceteris omnibus rebus posthabitis, in se ipsum descendat.

Amor igitur vinculum est, quo omnes substantiae partim inter se, partim cum deo conjunctae sunt. Mittit enim deus per intellectum et animam lumen suum ad extremas materiae oras neque invidet animantibus vitae fructum. Praeterea efficit, ut quaelibet substantia pro natura sua rationem divinitus immissam suscipiat atque se ad similitudinem ejus conformet. Quare duplex amoris vinculum videtur esse, unum, quo deus per gradus quosdam ad infima descendit eaque sibi conjunxit, alterum, quo per eosdem gradus substantiae ascendunt [29]). Hominis animus ex divino intellectu delibatus atque

20) V, 5, 12. 21) III, 5, 4.

22) III, 5, 6. *ἡ καθαρὰ (ψυχὴ) θεὸν γεννᾷ, καὶ θεὸν ἔφαμεν τὸν ταύτης ἔρωτα.* c. 3. *ὁ μὲν δὴ τῆς ἄνω ψυχῆς ἔρως, τοιοῦτος ἂν εἴη· ὁρῶν καὶ αὐτὸς ἄνω, ἅτε ὀπαδὸς ὢν ἐκείνης, καὶ ἐξ ἐκείνης καὶ παρ' ἐκείνης γεγενημένος, καὶ θεῶν ἀρκούμενος θέᾳ· χωριστὴν δὲ ἐκείνην τὴν ψυχὴν λέγοντες τὴν πρώτως ἐλλάμπουσαν τῷ οὐρανῷ, χωριστὸν καὶ τὸν ἔρωτα τοῦτον θησόμεθα, εἰ καὶ ὅτι μάλιστα οὐρανίαν τὴν ψυχὴν εἴπομεν· ἐπεὶ καὶ ἐν ἡμῖν λέγοντες τὸ ἐν ἡμῖν ἄριστον εἶναι, χωριστὸν ὅμως τιθέμεθα αὐτὸ εἶναι· μόνον ἐκεῖ ἔστω, οὗ ἡ ψυχὴ ἡ ἀκήρατος.*

23) V, 5, 12. 24) III, 8, 10. *ὥστε ἐν μὲν τῷ νῷ ἡ ἔφεσις, καὶ ἐφιέμενος ἀεί, καὶ ἀεὶ τυγχάνων.*

25) III, 4, 3. *ἔστι γὰρ καὶ πολλὰ ἡ ψυχή, καὶ πάντα, καὶ τὰ ἄνω, καὶ τὰ κάτω αὖ, μέχρι πάσης ζωῆς. Καὶ ἐσμὲν ἕκαστος κόσμος νοητός, τοῖς μὲν κάτω συνάπτοντες τῷδε, τοῖς δέ, ἄνω καὶ τοῖς κόσμου, τῷ νοητῷ, καὶ μένομεν τῷ μὲν ἄλλῳ παντὶ νοητῷ ἄνω.*

26) V, 5, 12. 27) I, 6, 2. I, 7, 1. 28) I, 3, 1—3.

29) cfr. Arist. met. XII, 7. *κινεῖ δὲ (τὸ ἀγαθὸν) ὡς ἐρώμενον, κινούμενον δὲ τ' ἄλλα κινεῖ.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad similitudinem dei factus non potest conservare essentiam suam aeternam, nisi se ipsum purgaverit ab hac rerum colluvie *καὶ οὕτω θεῶν καὶ ἀνθρώπων θείων καὶ εὐδαιμόνων βίος, ἀπαλλαγὴ τῶν ἄλλων τῶν τῇδε, βίος ἀνήδονος τῶν τῇδε, φυγὴ μόνου πρὸς μόνον.*

CAPUT II.

De amore, quem pro daemone habuit Plotinus.

Quemadmodum intellectus divinus e summo bono genitus est, anima coelestis ex intellectu divino, sic anima mundana ex anima coelesti originem ducit. Duplex enim horum principiorum actus (*ἐνέργεια*) est, unus qui dirigitur ad id, quod natura prius est, ut intellectus divini actus ad summum bonum, ut animae coelestis actus ad intellectum divinum, ut animae mundanae actus ad animam coelestem; alter vero actus eorum ad id tendit, quod natura posterius est. Hoc autem modo efficitur, ut rerum principia, cum ab una parte per gradus quosdam ad inferiora descendant, ab altera autem parte per eosdem gradus ad superiora ascendant, cognationis quodam vinculo inter se contineantur. Sed omnia illa principia, etsi in societatem earum rerum, quae ipsis inferiores sunt, discedunt, suam tamen quodque naturam aeternam tuentur ac conservant. Nam quod alterum cum altero communicat, id ex plenitudine effluit. Itaque anima, quas ex fonte intellectus divini hauserit notiones sive rationes, eas omnes in semet ipsa retinet ac continet [1]). Etenim quae in mente divina coarctata atque unita deprehenduntur, ea distincta explicataque habet anima, sicuti verbis expromuntur et explicantur animi cogitata ac sensa [2]). Quare anima *εἰκών τίς ἐστι νοῦ* et *λόγος*, quia omnes rationes in se continet [3]). Quoniam autem fieri non poterat, ut anima coelestis in semet ipsa acquiesceret, generandi necessitate instigata materiam appetentem sibi conciliavit eamque ad similitudinem earum rationum, quas ex intellectu divino susceperat, formavit. Procreavit igitur coelum et terram omniaque animantia [4]). Sed quamquam fieri non poterat, quin anima his rebus procreandis et fabricandis in materiae societatem veniret eique se immisceret, essentiam tamen ipsa suam a materia tutam praestitit. Quemadmodum enim ea forma, quam aedificium aliquod habet, distingui debet ab ea forma, quae in mente aedificatoris inest, ita Plotinus eam formam, quae rerum universitati ingenerata est atque impressa, ab ea forma distinxit, quae in anima coelesti inest [5]). Quamobrem anima mundana, quae ex anima coelesti effluxit ac perpetuo effluit (*ἀποῤῥεῖ*), simulacrum animae coelestis appellatur (*εἴδωλον, μίμημα*). Sed quamquam vita ejus per omnes mundi partes diffusa est atque in singulas animas dispartita, una tamen est, unumque animal (*ζῶον*) unaque natura, ad quam omnes singulae animae referri debent [6]). Atque ex hac quidem anima cum materia commixta natus est amor ille, qui a Plotino pro daemone habitus est [7]).

Quemadmodum enim anima coelestis intellectus divini pulchritudinem intuens eamque appetens ac sibi concilians amorem, deum pulcherrinmum, ex se progenuit, sic anima mundana rationum, quas anima coelestis in se reconditas habet, pulchritudinem contemplans sibique concilians amorem

1) IV, 8, 3. *βλέπουσα δὲ πρὸς μὲν τὸ πρὸ ἑαυτῆς νοεῖ, εἰς δὲ ἑαυτὴν σώζει ἑαυτήν, εἰς δὲ τὸ μετ' αὐτὴν ὃ κοσμεῖ τε καὶ διοικεῖ καὶ ἄρχει αὐτοῦ.*

2) I, 2, 4. *ὡς γὰρ ὁ ἐν φωνῇ λόγος μίμημα τοῦ ἐν ψυχῇ, οὕτω καὶ ὁ ἐν ψυχῇ μίμημα τοῦ ἐν ἑτέρῳ.* V, 1, 3. *(ψυχὴ) εἰκών τίς ἐστι νοῦ, οἷον λόγος ὁ ἐν προφορᾷ, λόγου τοῦ ἐν ψυχῇ, οὕτω τοι καὶ αὕτη λόγος νοῦ· καὶ ἡ πᾶσα ἐνέργεια, καὶ ἣν προΐεται ζωὴν εἰς ἄλλου ὑπόστασιν.*

3) III, 2, 2.

4) V, 1, 2. *ἐνθυμείσθω τοίνυν πρῶτον ἐκεῖνο πᾶσα ψυχή, ὡς αὐτὴ μὲν ζῶα ἐποίησε πάντα, ἐμπνεύσασα αὐτοῖς ζωήν, ἅ τε γῆ τρέφει, ἅ τε θάλασσα, ἅ τε ἐν ἀέρι, ἅ τε ἐν οὐρανῷ ἄστρα θεῖα, αὐτὴ δέ, ἥλιον· αὐτὴ δὲ τὸν μέγαν τοῦτον οὐρανόν, αὐτὴ δὲ ἐκόσμησεν, αὐτὴ δὲ ἐν τάξει περιάγει, φύσις οὖσα ἑτέρα ὧν κοσμεῖ.* II, 9, 8. *οὐ γὰρ οἷόν τε ἦν ἔσχατον τὸ νοητὸν εἶναι· εἶναι γὰρ αὐτοῦ ἐνέργειαν ἔδει διττήν, τὴν μὲν ἐν ἑαυτῷ τὴν δὲ εἰς ἄλλο. ἔδει οὖν εἶναί τι μετ' αὐτό.*

5) I, 6. 6) III, 5, 4.

7) III, 5, 4. *εἴπερ ψυχὴ μήτηρ Ἔρωτος, Ἀφροδίτη δὲ ψυχή, ἔρως δὲ ἐνέργεια ψυχῆς ἀγαθοῦ ὀριγνωμένης ἄγων τοίνυν ἑκάστην οὗτος ὁ Ἔρως πρὸς τὴν ἀγαθοῦ φύσιν, ὁ μὲν τῆς ἄνω θεὸς ἂν εἴη, ὃς ἀεὶ ψυχὴν ἐκείνῳ συνάπτει, δαίμων δ' ὁ τῆς μεμιγμένης.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gignit, materiae haud expertem, daemonem multiplicem, varium, nunc egenum, nunc bonis affluentem [8]). Nimirum anima mundana, simulac genita est ex anima coelesti, originis suae haud immemor divino quodam instinctu trahitur ad id, quod bonum pulchrumque est, idque caeco quodam appetitu sibi parare cupit, quo naturam suam ad similitudinem ejus conformet ac perficiat. Postquam autem amor natus est, anima per eum tanquam internuntium definitam boni naturam apprehendit eamque sibi informat. Ab una igitur parte amor aptus est ex principio, ex quo natus est, ab altera autem parte ex superiori principio, ad quod appetendo se applicat. Intuetur enim rationes in anima coelesti collectas, at pro natura sua, materiae admixta, nihil aliud intuendo apprehendit, nisi simulacrum (*εἴδωλον*) rationis, quam affectat. Nam ratio ipsa (*ὁ λόγος*) in se remanet: quamquam per amorem in animam mundanam influit eique simulacra verae pulchritudinis ingenerat. Atque haec quidem causa est, cur amor insatiabili quodam desiderio boni distentus nunc bonis suis gaudeat, nunc inopiam suam persentiat [9]).

Duo igitur sunt principia, ex quibus nascitur amor, unum *τὸ ὀρεκτικόν*, alterum *τὸ ὀρεκτὸν* aut, quatenus cum appetitu conjuncta est visio sive distinctio quaedam, *τὸ ὁρατικὸν* et *τὸ ὁρατόν*, aut, ubi intellectus locum suum habet, *τὸ νοητικὸν* et *τὸ νοητόν*. Quoniam autem Plotinus ob similitudinem, quae inter intellectus atque sensus actum intercedit, pro *νοεῖν* usurpare solet *ὁρᾶν* ideoque intellectum pro oculo cum Platone et Aristotele habet, unum principium *τὸ ὁρῶν* sive *τὸ ἐρῶν*, alterum quod ei oppositum est, *τὸ ὁρώμενον* sive *τὸ ἐραστὸν* dici poterit. Ex utriusque principii actu mutuo, qui quidem unus est, amor effloruit [10]). Sed quaeret fortasse quispiam, qui potuerit amare anima, antequam amorem progenuerit. Nam amando progenuisse dicitur amorem anima (*ἐρασθεῖσα ἔρωτα ἐγέννησε* III. 5. 2). Atqui Plotinus differentiam esse statuit inter animam boni natura definitam atque animam interminatam ideoque caeca quadam cupiditate agitatam. Quamdiu enim amor ratione non formatus ac definitus est, tamdiu anima quasi somnians ac divinans (*μαντευομένη*) ad id, quod bonum est, adspirat [11]). Quare Plotinus amoris principium interpretatur per pulchri appetitionem et cognationis cujusdam perceptionem rationis expertem (*ἀρχὴν δὲ εἴ τις θεῖτο τὴν αὐτοῦ κάλλους πρότερον ἐν ταῖς ψυχαῖς ὄρεξιν, καὶ ἐπίγνωσιν, καὶ συγγένειαν, καὶ οἰκειότητος ἄλογον σύνεσιν, τυγχάνοι ἂν οἶμαι τοῦ ἀληθοῦς τῆς αἰτίας*). Est autem, ut mihi quidem videtur, illa cognationis cum pulchro ipso perceptio, rationis expers (*σύνεσις ἄλογος*), nihil aliud, quam facultas quaedam discernendi simul cum sensu atque appetitu animantibus natura insita. Sensu enim percipit anima cognationem suam cum pulchro, corporum venustatem intuens eamque sibi concilians, turpitudinem eorum respuens [12]). Neque vero multum dissentientem, opinor, habebimus Plotinum nostrum, si Iûs et Jovis exemplo rem explicaverimus. Plotinus enim Jovem pro intellectu divino, Junonem eodem sensu quo Venerem, pro anima mundi habuit (III. 5. 8), amorem vero cum oestro sive asilo comparat, quo, ut fabula fert, Io, Inachi filia, agitata est. Observantur enim virgini, Junonis sacerdoti, dulci amoris desiderio captae, visa nocturna, quibus ei nuntiatur connubium cum Jove. Oraculi jussu a patre domo ejecta, per omnes terras errat, furore percita (*οἰστρόπληξ*), donec a Jove tacta Epaphum progenuit, ex cujus progenie

8) III, 5, 3. *ἐπεὶ δὲ καὶ τοῦδε τοῦ παντὸς ψυχὴν εἶναι ἔδει, ἐπίστη μετὰ ταύτης ἤδη καὶ ὁ ἄλλος ἔρως, ὅμμα καὶ ταύτης, ἐξ ὀρέξεως καὶ αὐτῆς γεγενημένος τοῦ δὲ κόσμου οὖσα ἡ Ἀφροδίτη αὐτή, καὶ οὐ μόνον ψυχή, οὐ δὲ ἁπλῶς ψυχή, καὶ τὸν ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ ἔρωτα ἐγεννήσατο ἐφαπτόμενον ἤδη καὶ αὐτον γαμων.* V, 3, 9. *οὕτω τοι ὁ ἔρως ὑλικός τις ἐστί, καὶ δαίμων οὗτός ἐστιν ἐκ ψυχῆς καθ' ὅσον ἐλλείπει τῷ ἀγαθῷ, ἐφίεται δὲ γεγενημένος.*

9) III, 5, 7. *λόγος οὖν γενόμενος ἐν οὐ λόγῳ, ἀοριστῷ δὲ ἐφίσει, καὶ ὑποστάσει ἀμυδρᾷ, ἐποίησε τὸ γενόμενον οὐ τέλεον, οὐδὲ ἱκανόν, ἐλλειπὲς δέ, ἅτε ἐξ ἐφέσεως ἀορίστου, καὶ λόγου ἱκανοῦ γεγενημένον. καὶ ἔστι λόγος οὗτος οὐ καθαρός, ἅτε ἔχων ἐν αὑτῷ ἔφεσιν ἀόριστον καὶ ἄλογον καὶ ἄπειρον· οὐ γὰρ μήποτε πληρώσεται, ἕως ἂν ἔχῃ ἐν αὑτῷ τὴν τοῦ ἀορίστου φύσιν. Ἐξήρπτηται δὲ ψυχῆς, ὡς ἐξ ἐκείνης μὲν γενομενος ὡς ἀρχῆς. Μίγμα δὲ ὢν ἐκ λόγου οὐ μείναντος ἐν αὑτῷ, ἀλλὰ μιχθέντος ἀοριστίᾳ· οὐκ αὐτοῦ ἀνακραθέντος ἐκείνῃ, ἀλλὰ τοῦ ἐξ αὐτοῦ ἐκείνῃ. Καὶ ἔστιν ὁ ἔρως οἷον οἶστρος ἄπορος τῇ ἑαυτοῦ φύσει, διὸ καὶ τυγχάνων ἄπορος πάλιν.*

10) III, 5, 3. *ἐξ οὖν τοῦ ἐνεργοῦντος συντόνως περὶ τὸ ὁρώμενον, καὶ ἐκ τοῦ οἷον ἀπορρέοντος ἀπὸ τοῦ ὁρωμένου ὅμμα πληρωθέν, οἷον μετ' εἰδώλου ὅρασις, Ἔρως ἐγένετο.* V, 3, 10.

11) V, 3, 1.

12) I, 6, 2. c. 3. *γιγνώσκει δὲ αὐτὸ (τὸ καλὸν) ἡ ἐπ' αὐτὸ δύναμις τεταγμένη, ἧς οὐδὲν κυριώτερον εἰς κρίσιν τῶν ἑαυτῆς, ὅταν καὶ ἡ ἄλλη συνεπικρίνῃ ψυχή. Τάχα δὲ καὶ αὕτη λέγει συναρμόττουσα τῷ παρ' αὐτῇ εἴδει, κἀκείνῳ πρὸς τὴν κρίσιν χρωμένη, ὥσπερ κανόνι τοῦ εὐθέος.* Arist. Ethic. Nicom. VI, 10. *ἡ δὲ σύνεσις κριτικὴ μόνον.* analyt. post II, 19. *πάντα δὲ ἔχει τὰ ζῷα δύναμιν σύμφυτον κριτικήν, ἣν καλοῦσιν αἴσθησιν.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hercules, virtutis Graecorum exemplar, exstitit[13]). Conspicimus autem in his naturam mentis rationisque divinae adhuc expertem, at somniantem, divinantem, appetentem: nam quod rationis penitus expers est eaque prorsus privatum, id ne appetit quidem rationem ac mentem[14]). Pulchri bonique sensus excitatus non sinit animas esse quietas et tranquillas: imo vero naturae ipsius repugnantia vehementiores facit cupiditates[15]). Quare Plotinus amorem non tantum ex anima, sed etiam simul cum anima progenitum esse contendit (III. 5. 2). Est enim ei ab initio ingenita illa boni cupiditas, quippe quae vel ad conservationem vel ad perfectionem ipsius necessaria sit. Unde efficitur, ut, priusquam mentis oculum, quo bonum a malo, pulchrum a turpi discernat, sibi adsumpserit, quod naturae consentaneum cognatumque est, id caeco quodam instinctu appetat (*ὑπάρχει δὲ ὅμως καὶ πρὸ λόγου ἡ κίνησις ἡ ἔνδοθεν ὀρεγομένη τῶν αὐτῆς.* III. 4. 5. *πρὸ δὲ τούτου ἔφεσις μόνον, καὶ ἀτύπωτος ὄψις* V. 3. 11. cfr. II. 4. 5). Quemadmodum enim intellectus, antequam se ipsum a semet ipso distinxit, tactus (*θίξις*) est, sic anima quasi somnians divinando id quod bonum pulchrumque est, quodammodo attingit (*θιγγάνει*)[16]). Ex anima autem amor, vitae honestae dux ac comes, virtutis instigator, veritatis aeternitatisque monitor, postquam ad indigentiae sensum accessit reminiscentia rationum divinarum natus est. Nam ratio sive forma divina, etsi in semet ipsa remanet, materiam tamen boni appetentem luce sua collustrat ejusque infinitam naturam sibi conciliat ac determinat[17]). Atque hic quidem amor, rationis particeps factus, (*λόγος γενόμενος* III. 5. 7) non est absque intelligentia boni ac pulchri. Quemadmodum enim intellectus, quamvis unus atque idem, in duas tamen partes sive regiones discretus est[18]), sic amori (*τῷ ὀρεκτικῷ*) oppositum est *τὸ ὀρεκτὸν*, ac quemadmodum intellectus a summo bono definitionem suam habet, sic amor, magnus ille daemon, a bono ac pulchro definitus ac determinatus est. Etenim superiora principia conformant ac constituunt principia inferiora, unde efficitur, ut omnia boni naturam suscipiant[19]). Ut sol luminis radios per omnes terras mittit, ita summum bonum lucem suam (*τὸν θεῖον λόγον*) gradibus diversis vel in mundum intelligibilem vel in hanc rerum universitatem mittit, et lumine suo colorat singula corpora eisque addit gratias (*χάριτας*) excitatque in animabus admirabilem sui amorem[20]). Etenim anima ad boni pulchrique contemplationem natura facta, id quod inde proficiscitur (*τὴν ἀποῤῥοήν*), arripit apprehenditque tanquam sibi cognatum.

Constat igitur ex Plotini sententia amor, qui ab eo magnus daemon appellatus est, ex duobus principiis sibi invicem oppositis, quae quidem principia in unum actum colliguntur ac copulantur. Etenim anima appetit summum bonum, cujus indiget vel ad conservationem vel ad perfectionem sui ipsius, ab altera autem parte summum bonum sese applicat ad naturam boni appetentis animae excitatque in ea virtutis sapientiaeque igniculos subditos. Utriusque principii actus unus atque idem est, ut unus est actus *τοῦ αἰσθητικοῦ* et *τοῦ αἰσθητοῦ*, et *τοῦ νοητικοῦ* et *τοῦ νοητοῦ*, principiis quidem diversis, at sibi invicem cognatis[21]). Itaque anima boni, cujus indiget, appetens rationem divinitus missam (*τὸν λόγον ἀπὸ θείου ἐλθόντα* I. 6. 3) concipit conceptamque sibi ingignit atque ingenerat. Quemadmodum enim lumen solis facit, ut colores in corporibus appareant, ita summi boni potentia ac vi omnia ad vitae lucem ac fructum incitantur ac proferuntur. Torpet enim intellectus, torpet anima torpentque omnes ejus facultates, priusquam boni lumen acceperint. Postquam vero amoris ardor accessit, protinus excitantur, corroborantur alisque fulciuntur. Praebet enim summum bonum, quod amore apprehenditur, vitam, gignit mentem, excitat formas in materia dormitantes easque ornat pulchritudine gratiaque mirifica ac facit, ut omnia naturam boni intueantur. Quam ob causam in amore definiendo

13) Aeschyl. Prom. vinct. 650 sq. Soph. Ant. 781 sq. Odyss. VI. ab initio.

14) III, 5, 9. *οὐ γὰρ δὴ τὸ πάμπαν ἄμοιρον τοῦ ἀγαθοῦ, τὸ ἀγαθὸν ἄν ποτε ζητήσειεν.*

15) III, 5, 9. *καὶ τὸ ἀόριστον τῆς τοῦ ἀγαθοῦ ἐπιθυμίας (οὐ γὰρ μορφή τις, οὐδὲ λόγος ἐν τῷ ἐφιεμένῳ τούτου) ὑλικώτερον τὸ ἐφιέμενον, καθ' ὅσον ἐφίεται ποιεῖ.*

16) V, 3, 10.

17) VI, 7, 22. *καὶ τοίνυν ψυχὴ λαβοῦσα εἰς αὐτὴν ἐκεῖθεν ἀποῤῥοὴν κινεῖται, καὶ ἀναβακχεύεται, καὶ οἴστρων πίμπλαται, καὶ ἔρως γίγνεται.* III, 5, 9. *ἡ ἔλλειψις καὶ ἡ ἔφεσις, καὶ τῶν λόγων ἡ μνήμη, ὁμοῦ συνελθόντα ἐν ψυχῇ, ἐγέννησε τὴν ἐνέργειαν τὴν πρὸς τὸ ἀγαθόν, ἔρωτα τοῦτον ὄντα.*

18) V, 3, 10. 19) VI, 7, 21. 20) II, 4, 5. VI, 7, 22. I, 6, 3.

21) Arist. de anim. III, 2. *ἡ δὲ τοῦ αἰσθητοῦ ἐνέργεια καὶ τῆς αἰσθήσεως ἡ αὐτὴ μέν ἐστι καὶ μία, τὸ δ' εἶναι οὐ ταὐτὸν αὐταῖς.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

principem locum summo bono, alterum boni appetitioni tribuendum esse existimavit Plotinus. Nam τὸ ὁρώμενον sive τὸ νοούμενον est τὸ κύριον, neque, quia appetitur, bonum est, sed, quia bonum est, appetitur [22]).

Cognatio autem, qua anima cum summo bono conjuncta est, diversos habet gradus. Descendit enim per intellectum et animam coelestem ad hanc animam mundanam, imaginem mundi intelligibilis. Hominis autem animus, quum ratione ac mente praeditus sit, non solum animam mundi in se continet, verum etiam mundum intelligibilem [23]). Unde varii ac diversi nascuntur amores (ἔρωτες), qui iidem daemones vocantur. Etenim anima mundana formas ab intellectu et anima coelesti acceptas vel plantis vel animantibus vel hominum etiam actionibus ingignit atque in iisdem procreandis constituendisque vim ac potentiam suam ostendit. Hinc oriuntur diversae animae mundanae formae (ψυχὴ θρεπτική, γεννητική, αἰσθητική, ὀρεκτική, λογιστική), quarum singula quaeque ad id, quod bonum est, spectat [24]). Ad vitam, quae in bonis est, sustentandam et formandam alimento, ad perpetuitatem generis conservandam propagatione, quae in rebus divinis ac pulchris pariter a Plotino atque a Platone et Aristotele numeratur [25]), ad rerum differentias discernendas earumque pulchritudinem apprehendendam opus est sensu ac ratione. In his igitur formis animae omnibus appetitio quaedam boni cernitur, eamque ob causam non mirum videbitur, quod suum cuique formae amorem, tanquam daemonem addidit Plotinus. Quot enim singulae sunt animae, totidem sunt daemones (III. 5. 4). Quid, quod hanc totam rerum naturam, anima coelesti excepta, magnum daemonem duxit (II. 3. 9).

Sed per quos gradus summum numen descendit, per eosdem ascendit hominis animus, amore instigatore ac duce, donec in intimam cum deo societatem perveniat. Ac quoniam natura animi humani ex diversis formis constat (continet enim in se non solum formas animae mundanae, verum etiam notiones divinas mundi intelligibilis), necesse est, ut pro diversis cupiditatibus ac studiis diversos in se habeat amores sive daemones, pravos, si qui rationi non obtemperaverint et modum natura praescriptum excesserint, ut si quis plantarum aut bestiarum instar vitam agat; probos, si quis in vitae genere eligendo mentem rationemque sit secutus. Praesidet enim sensui τὸ λογιστικὸν tanquam daemon, rationi intellectus itemque daemon, intellectui deus [26]). Potestas enim eligendi aut mutandi daemonem, quem quis sequi voluerit, in hominis arbitrio posita est, ideoque non vacat culpa is, qui pravis cupiditatibus inservit. Nam deus nobis largitus est virtutem a servitute penitus liberam. De libero autem arbitrio ita sentit Plotinus: Ubi anima, inquit, externis rebus mutata aliquid efficit, aut cum motu appetit, quasi caeco utens impetu, non illa actio aut animi constitutio sponte suscepta dicenda est, nec cum ipsa per se pejor effecta non rectis in posterum neque bene gubernatis utitur appetituum motionibus. At ubi ea rationem accipit, sui gubernatricem puram atque imperturbatam et ea duce appetit, ea demum appetitus motio dici debet esse in nostra potestate et sponte suscepta, et hoc esse nostrum opus, quod non aliunde venit, sed ab intimo animae purae a principio prima praesidente ac domino. — Anima cum extra corpus est, domino est sui opificii et libera et extra causae mundanae imperium. Ubi vero in corpus delata est, non omnino jam domina, utpote conjuncta cum rebus aliis (III. 1. 9. 8.).

Daemonum autem natura medium tenet locum inter mundum intelligibilem atque hanc rerum naturam eorumque munus in eo cernitur, ut haec terrestria cum coelestibus connectant ac conjungant. Porrigunt enim rationes ab intellectu divino repetitas ac ministerio suo efficiunt, ut omnium rerum, quae procreatae sunt, exsistat concentus: praeterea, quum in animabus boni pulchrique appetitionem excitent, efficiunt, ut singulae naturae finem ratione constitutum assequantur. Daemones autem maligni, praeter naturam definitam incitantes, falsarum opinionum illecebris animas alliciunt allectasque in materiam, omnium malorum, quibus haec vita nostra premitur, genitricem detrudunt [27]). Quare

22) VI, 7, 21—22. 23) III, 4, 6. c. 3. 24) III, 4. 25) III, 5, 1.
26) III, 4, 2. IV, 4, 39. ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον, συνυφαίνεσθαι δὲ καὶ τὰ αὐτῆς ἔργα τῇ συντάξει.
27) III, 5, 7.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

iterum iterumque homines cohortatur Plotinus, ut, omnibus his rebus posthabitis ac contemtis, ad coelestia confugiant redeantque ad deum, patrem patriae, unde egressi sint [28]).

Quum autem daemones secundum Plotinum harum rerum omnium praesides ac ministri sint eorumque imperium ad haec terrestria tantum pertineat (nam quae supra lunam sunt, ea deorum imperio subjecta sunt III. 5. 6.): consequitur, ut intellectus hominis, cum mundum intelligibilem in se contineat, deum, non daemonem, praefectum ac comitem habeat. Etenim daemon, qui hominem hac in vita comitatur, facit, ut vel in his rebus, quae sub sensus cadunt, vel in rerum scientiis vel in hominum factis pulchritudinis virtutisque simulacra concipiat eorumque contemplatione puram ac constantem pulchritudinem reminiscatur. Quum autem homo secum esse coepit, solutus ac purgatus ab harum rerum terrestrium contagione, tum deus eum recipit in mundi intelligibilis communitatem (I. 2. 6.). Uterque autem amor, sive daemon sive deus est, ex summo bono pendet. Quamobrem amor ex Plotini sententia cognationis vinculum est, quo cum summo bono conjuncti sumus (*ἔρως —, ὅς ἀεὶ ψυχὴν ἐκείνῳ* [sc. *τῷ ἀγαθῷ*] *συνάπτει* III. 5. 4.).

Longum est atque ab hac scriptione alienum, commonstrare, et in quo consentiat Plotinus vel cum Graecorum de daemonum natura opinionibus ab antiquissimis poëtis receptis, vel cum Platonis et Aristotelis, quos potissimum auctores sequitur, iisdem de rebus placitis, et in quo idem ab his dissentiat. Hoc unum moneo, paene omnem antiquitatem in amore vinculum necessitatis quoddam vidisse, quo res continerentur et cum summis principiis conjungerentur [29]). Quid? quod idem Aristoteles, quamvis fabularum usum pro sua philosophandi ratione contemnendum existimaret, per amorem tamen rerum universitatem cum summo bono conjunctam et naturam ipsam *δαιμονίαν*, non divinam, esse voluit [30]). Bene distinxit Plotinus argumentandi rationem a fabularum historiis (IV. 7. 15.). Existimabat enim, antiquissimos vates ceterosque poëtas divino quodam instinctu procul (*πόῤῥωθεν*) vidisse rerum causas easque integumentis involutas perplexe ac sub obscure significasse (*αἰνίττεσθαι, μαντεύεσθαι*). Neque vero negari poterit, Plotinum in fabulis interpretandis non admodum religiosum fuisse. Nam intellectum divinum nunc pro Coelo, nunc pro Saturno, nunc pro Jove, animam autem coelestem nunc pro Venere, nunc pro Junone habuit (III. 5.). Sed quam rationem in fabulis interpretandis secutus sit Plotinus, alia est quaestio.

28) III, 4, 2. II, 3, 9. I, 6, 8

29) Solger's nachgelassene Schriften 2 B. „Ueber den Ursprung der Lehre von Dämonen und Schutzgeistern in der Religion der alten Griechen."

30) Arist. de somn. *ἡ γὰρ φύσις δαιμονία, ἀλλ' οὐ θεία.* met. XII, 7. *κινεῖ (τὸ ἀγαθὸν) ὡς ἐρώμενον.* cfr. phys. I, 9.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf